

Iam si quis exempla Historiae Poeticae desideret, horum tanta copia in promptu est, vt, si in latinis tantum, vel in recentioribus duntaxat huius generis operibus, pedem figere velim, libellus mihi scribendus sit, non hae, quae super-
sunt, angustiae implendae. Non enim nomina tantum aucto-
rum et carminum, cum editionibus aut versionibus eorum, proferenda essent; sed iudicandum de singulis, quantum legi-
bus illis superioribus satisfecerint; quam procul a carmine epico, aut ab historia accurata absint; quem vsum denique libri eorum, vel in rebus gestis cognoscendis, vel in poetica elegantia adsequenda, praestent. Itaque alius loci et temporis haec disputatio erit. Ne tamen nihil omnino de iis a me dictum videatur, ex veteribus, post *Apollonium Rhodium* et *Lu-
canum*, memorandi maxime *Claudianus* et *Silius Italicus* vi-
dentur. Media aetas longe plurimos in hac palaestra scripto-
res vidit. Mihi reliquos antecellere certum est *Roswithae* Panegyri de gestis Ottonum, *Guilielmi Britonis Aremorici* Philippidos, seu de rebus gestis Philippi Augusti, Regis Fran-
ciae, Libros XII. et *Gualteri* *Alexandreida*: e quibus illa vel propter sexus miraculum legenda est; hi, etiam ob raram eo tempore versuum concinnitatem, et vbertatem inuentionis, laudantur. Permulti se his recentiore aetate adiunxerunt, e quibus vnum merito eximendum puto ceterorum choro, quod Sapientissimae et Felicissimae Augustae, quam adhuc Germania veneratur, laudes, digno sane illius maiestate carmine persecutus est, *Franciscum Maria Cesarem*, in *Theresia*, seu *Ostentis Dei O. M. editis pro Augusta, Maria Theresia, Romanorum Imperatrice*, cet. Prodiit Opus egregium Vin-
dobonae A. 1752. quaternis, certatque de palma cum optimis ex hoc genere poematibus.